

dum, communes, œsophagus & arteria. Est enim corpus quadratum & amplissimum, & in omnibus membris robustissimum. Ergo & viæ tales sunt interius, calidi enim est dilatari. Præterea membrum recipiens debile est, & aptum ad recipiendas superfluitates & excrementa, quia calidum & humidum. Ergo semper abundat excrementis, & materia non tantum in capite generata, sed quæ ab aliis etiam membris inferioribus, & præcipue ventriculo eò deuenit. Sed in capite etiam generatur, quia humidum, & materia ascendens ex ventriculo suffocat calorem naturalem, ut nec alimentum proprium conficere, nec excrementa pellere possit. Ita vnde quaque multiplicantur incommoda: & fit ut partim per essentiam, partim per consensum sit morbus. Et sic habemus primò, quòd epilepsia sit facta à materia corpulenta, frigida, pituitosa, & aliqua parte materiæ adustæ ascendenti ab hepate & toto ambitu venarum. Patent & loca mandantia & recipientia.

Accedunt etiam causæ extrinsecæ. In omnibus sex rebus non naturalibus perpetuo deliquit: prætermitto febres, erisipelas, vertigines, quæ præcesserunt. Primò deliquit in aere, noctu obambulauit sæpe hoc æstiuo tempore, & maximè calido: equitauit in puluere, æstu ac feruore: colliquauit materiam plurimam violenter. Sic de repletionem & inanitionem: imò die præcedenti paroxysmum, comedit varia genera cibariorum, & biberat quinque vel sex genera vini. Accessit immoderata Venus, & reliqua omnia, vigiliæ: tandem patiebatur sæuissimam animi accidentia, quæ multum faciunt ad epilepsiam. Noui duos vel tres parcissimè & ordinatissimè viuentes, qui epilepsia mortui sunt, propter solas animi curas: inter quos fuit, felicitis memoriæ Marcus Antonius Cornelius Venetus. Ita tandem facta magna impressio, quæ non fit à facili causa, sed maxima, penitus prosternente virtutem cerebri. nam venena principalia habet virtutem magnam valde resistentem contrariis: ergo necesse est esse materiam multam, cum præsertim intra vnus mensis spacium duos perpeffus sit paroxysmos: nec adhuc tuti sumus, quia interim etiam vertigines sensit. Tales causæ corporeæ & simplices. Quid possum dicere? Corpus calidum fuit & est, ut satis apparet: sed in qualitatibus passiuis quale fuerit, non facile dixerim, quia continuo corpora mutantur: ex humidis sicca fiunt, & sicca interdum pinguescunt, prout vel exercentur multum, vel bene & in ocio viuunt.

Calor ille resolutus est multo coitu inordinatoque victu, atque ita alteratum totum corpus. Quia igitur membrum nobile subito oppressum est à morbo maximo, qui ob magnitudinem Sacer appellatur, idque non fit nisi à validissima causa, ita ut penitus destruat propria natura, nec restitui facile possit ad pristinum statum. Ergo non possum nisi timere, etiamsi duos tantum paroxysmos habuerit, & alterum leuiorem. Oportebit igitur vigilare & semper in cura esse.

Cura Quia morbus materialis, ex intemperie cum materia. Primò materia abscindenda, etli im-

A impressio facta est essentialiter in membro, ea remouenda, materia euacuanda. Continetur autem ea partim in ventriculo, partim in cerebro, omnia euacuanda: sed ab eo incipiendum, quod proprie generat. Primò missio sanguinis pro euacuatione materiæ, quæ est in ambitu venarum facta est copiosè ante mensem: & bene considerant clarissimi Doctores, eam non amplius necessariam, quod color satis indicat.

Accedamus igitur ad euacuandam materiam, quæ pituita est: datum est digestiuum, materia etiam concocta cum iis, quæ concoquunt humorè crassum, pituitosum & melancholicum: nunc danda medicina euacuans. Sit ea, vel pillulæ cocchiæ, vel confectio hamech, vel medicamentum arte confectum, in quo agaricus, colocynthis, epithymum, folliculi senæ, polypodium: nunc omitterem elleborum, & leuioribus contentus essem. Primò, nec æqualis vis esset euacuantium pituitam & melancholiam, sed fortiora pro pituita darem.

C Post euacuationem, quia vna non euacuabit: datur aqua balnei, quæ euacuabit per vrinam, fecesum & halitum: & corroborabit etiã ex parte ventriculum, quæ est secunda nostra intentio. Euacuato toto, caput euacuandum venit ante stillicidium: non tantum cum masticatione simplicis mastichis, sed cum staphisagria, pipere, vel dictamo Cretenfi, & emungendum aliquid leniter per nares: & ita præpararem caput particulari euacuatione ad stillicidium, quod ipsum auertet materiam & caput corroborabit.

D Ratio victus attenuans erit, ut Gal. proponit in consilio pueri epileptici. Vnum proponam, quod omissum est à vestra excellentia. Vtrum debeat dari vinum, quod infestum est epilepsie, propter euaporationem: & quia subtiliat & conducit alios vapores ad caput. Si igitur videretur, exhiberem aquam coctam aniso, cinamomo & zuccaro, quæ haberet vim concoquendi per tres menses: postea darem vinum album tenue, & medicatum cum radicibus præoniæ, betonica, saluia, roremarino. quæ omnia sine amaritudine, aut ingrato sapore confortant caput: item cum folliculis senæ propter humores adustos. Oxymel cauerem, sed scilicet non noceret: item theriaca prodest. Cauteria plurimum conducent. Noui nobilem etiam senem ex solis cauteriis curatum. De paroxysmo quomodo reprimendus, nihil dico, quia & à V. Excell. præteritum est.

CONSILIVM LII.

Ad spasimum, ex retentione vrinae, & vigiliis.

NOBILIS quidam Vicentinus, ex inordinato regimine in cibo & potu, ante nouem annos in ophthalmiam incidit, cum exulceratione crurum: curatus à Frachanzano, & nihilominus inordinatissimè viuens, ex cibis crassioribus & multo vsu casei, quo mirificè delectabatur, in calculum incidit satis grauem, ut subinde excerneret lapides: iam demum ante mensem incidit in omnimodam suppressionem vrinae, ita ut intra mensem totum vix sex